

angulum rectum supra centrum cum alia diametro transeunte à puncto medio prædicti arcus per ipsum cētrum. Aspectus uero trinus est qui attenditur penes lineā rectam subtensam arcui quatuor signorum, quæ sunt tertia pars circuli, ita quòd duo puncta terminantia prædictam lineam dicuntur se aspicerere de trino, à quibus punctis lineæ rectæ ductæ ad centrum super ipsum constituunt angulum continentem angulum unum rectum, & tertiam partem alterius recti. Aspectus uero quartus, est qui attenditur penes lineam rectam, subtensam arcui trium signorū, quæ sunt quarta pars circuli, ita quòd duo puncta terminantia prædictam lineam, dicuntur se aspicerere de quarto, à quibus punctis lineæ rectæ ductæ ad centrum super ipsum constituunt unum angulum rectum. Aspectus uero sextilis, est qui attenditur penes lineam rectam subtensam arcui duorum signorum, quæ sunt sexta pars circuli, ita quòd duo puncta terminantia prædictam lineam dicuntur se aspicerere de sextili, à quibus punctis lineæ rectæ ductæ ad centrum super ipsum constituunt angulum continentem duas tertias unius anguli recti. Causa autem propter quam sapientes antiqui dixerunt, aspectus fieri solum per has elongationes & quantitates, scilicet, per medietatem tertiam, quartam & sextam circuli, & non per alias, est hæc. Dicunt enim quòd elongatio secundum medietatem circuli est elongatio maxima, quæ possit esse in circulo, quæ cum attendat penes lineam rectam diametralem, transeuntem per centrū circuli, ipsum circumulum diuidentem per medium, manifestum est per se, quòd puncta terminantia dictam lineam, sunt in oppositione secundum lineam rectam. Et propter hoc dicuntur se aspicerere de oppositione, unde contingit quòd quando unum prædictorum punctorum est in oriente, aliud est in occidēte, & quòd quando unum est in medio cœli, aliud est in angulo terræ. Cum autem prædicta medietas fuerit diuisa per medium & tertium, quæ sunt primæ & maiores diuisiones, & illud tertium fuerit duplicatum, exhibunt quantitates aliorum aspectuum, scilicet, quarti, sextilis & trini, quæ quantitates aspectuum omnes sunt adin-